DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-LEGALIS

QVA

QVAESTIO:

AN DENTVR REMEDIA ABORTVM SIMPLICITER PROMOVENTIA

IN PARTEM NEGATIVAM RESOLVITVR,

QVAM

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

DOMINO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,

IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,

ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. OCTOBR. A. S. R. MDCCXLVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS MAXIMILIANVS GRÆF,

GREIZA-RVTHENO-VARISCVS,

PHYSICVS ORDINARIVS LEVTENBERGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

A

SON ALTESSE SERENISSIME;

MONSEIGNEUR LE PRINCE

JEAN FREDERIC

PRINCE DE SCHWARZBOURG,

UN DES QUATRE

COMTES DU SAINT EMPIRE

COMTE DE HOHENSTEIN, SEIGNEUR D'ARNSTADT, SONDERSHAUSEN, LEUTENBERG, LOHRA ET CLETTENBERG, ETC.

MON TRES GRACIEUX SOUVERAIN.

MONSEIGNEUR,

Comme les voeux ardens de tous les fideles ſujets de V. A. S. ont été entierement accomplis par ſon heureux avenement à la Regence de ſes Etats, cet heureux evenement n'a pû donner moins de ſatisfaction à un etranger

comme moi, qui a été un des premiers, qu' Elle a daigné prendre ſous ſa protection & le combler de Ses bienfaits. La permiſſion, que V. A. S. m'a ſi gracieuſement accordée de faire le Medecin dans la Ville & Baillage de Leutenberg, a été une des premieres graces, qu'Elle a repandues, & le premier fondement de toutes les felitez de ma vie. Ayant donc aſſiſté depuis près de deux ans les ſujets de V. A. S. dans leurs beſoins, & mes ſoins n'ayant pas été inutiles par la benediction de Dieu, la grace de V. A. S. s'eſt redoublée en ma faveur, en me conferant la charge de Phyſicien de Leutenberg & de ſon baillage. Agréez, Monſeigneur, que je VOUS asſûre, que des le moment, que j'ai eu le bonheur d'être compté au nombre de VOS ſujets, j'ai été animé par les plus tendres

ſenti-

ſentiment de mon coeur à VOUS faire connoître ma très humble reconnoiſſance, quoique je n'euſſe d'autre moyen de m'en acquiter, que celui de faire des voeux ardens pour la conſervation de la precieuſe vie de V. A. S. & pour la proſperité de toutes ſa Sereniſſime Maiſon. Mais à preſent, que je ſuis gracieuſement chargé de prendre la dignité de Docteur & que par le ſecours de Dieu j'y ſuis reſolû, j'ai crû, que je ſerois pardonné, ſi j'oſois mettre le precieux & Sereniſſime Nom de V. A. S. à la tête de ma Diſſertation inaugurale, & la Lui preſenter comme une marque de mon très reſpectueux attachement & de ma très humble veneration. La grace & la generoſitè ſi naturelles a V. A. S. me font bien eſperer, qu'il n'y a point de Prince, qui pardonne auſſi gracieuſement, qu'Elle,

la

la liberté, que je prends, & je La ſuplie d'être perſuadée, qu'il n'y a aucun de ſes anciens ſujets, qui ſoit avec plus de devotion & avec un plus profond reſpect, que je le ſuis, & que je le ſerai jusqu'à la fin de mes jours

MONSEIGNEUR

de V. A. S.

à Hale ce 6me Oct.
1746.

le très humble, très obeïſſant
& très ſoumis

FREDERIC MAXIMILIEN GRÆF.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-LEGALIS

QVA

QVAESTIO:

AN DENTVR REMEDIA ABORTVM SIMPLICITER PROMOVENTIA

IN PARTEM NEGATIVAM RESOLVITVR.

PROOEMIVM.

Inter eximias, quibus Medicina ſplendet, praerogatiuas, haec ſane non vltimo collocanda eſt loco, quod diuina haec ſcientia ipſi etiam Iurisprudentiae lumen quaſi praeferat, quod oſtendat, quid faciendum fugiendumue ſit in multis caſibus forenſibus exacte reſoluendis, poenisque capitalibus ſalua conſcientia accurate determinandis. Adeunt hinc

ſaepe ſaepius medicum tribunal Iurisconſulti, ſi forte de impotentia virili, feminarumque ſterilitate, in diſſoluendo matrimonii vinculo, incidit quaeſtio; ſi veneficis & homicidis iuſtum ſtatuendum eſt ſupplicium; ſi de ſuſpecta agitur impraegnatione, foetusque praematura per poculum abortiuum expulſione; ſi de ſuperfœtatione & partu legitimo quaeritur, aut ſi morbi veri & ſimulati in reis ſunt diſcernendi, & quae ſunt huius generis plura. Licet vero caſus, quibus Medicina Iurisprudentiae auxiliatrices porrigit manus, prope ſint innumeri; reliquis tamen omnibus lubenter hic praetermiſſis, de *abortu* tantum & *medicamentis eundem cientibus* in praeſentiarum placet diſſerere; de quorum natura & indole tam variae a Iuris aeque ac Medicinae peritis mouentur lites & in vtramque deciſae partem agitantur quaeſtiones, vt quid in tanta ſententiarum diuerſitate pro vero demum ſtatuendum ſit, plerumque ignoretur. Operae itaque pretium facturus mihi viſus ſum, ſi ſpeciminis inauguralis loco materiam hanc valde implicatam & dubiam ad rationis & experientiae incudem reuocarem, & qua demum ratione ex hoc opinionum ſibi inuicem contradicentium labyrintho emergendum ſit, paullo curatius disquirerem. Quum vero omnes de abortu lites ad hanc redire quaeſtionem videantur, *denturne in rerum natura viribus ad abortum producendum certis, abſolutis & ſufficientibus inſtructa remedia?* equidem in ſequentibus pagellis non ſolum veras abortus cauſſas & fiendi modum breuiter explicaui, ſed

reme-

remedia quoque, quibus abortiua facultas potissimum adscribi solet, recensui, & quantum fieri potuit, examinaui. Singulis autem probe pensitatis, sensi me satis apud animum meum conuictum esse, remedia certa & ad abortum necessario omnique tempore promouendum idonea minime existere. Quam ideo thesin negatiuam in hac mea dissertatione defendendam suscepi, & cum viris doctioribus communicare volui, vt vel obseruando confirment, vel repudient mea. Neque dubito, quin ex hac mea pertractatione tam in Medicinam, quam in ipsam Iurisprudentiam, multum redundet commodi: quod vt feliciter ita eueniat, supplex a summo Numine contendo.

§. I.

In decidenda quaestione, *denturne remedia, quae abortum absolute prouocent?* primo omnium videtur disquirendum, quid sit *abortus*, qui fiat, & quaenam caussae ad ipsum proxime conferant? siquidem faciliori deinceps negotio diiudicari poterit, an quid in rerum natura dictis instructum viribus existat, nec ne. Est autem ABORTVS *praematura foetus immaturi & mortui, vel tamen ad vitam continuandam inepti, ex vtero exclusio.* Facile statim hac ratione distinguitur a *partu praematuro*, vtpote qui est *foetus viui, vel tamen ad vitam, nisi quid obstet, continuandam idonei, ante consuetum pariendi tempus, ex vtero exclusio.* Atque haec mea de abortu & partu praematuro idea ab ipso loquendi vsu abunde satis comprobatur. Partus enim septimestris, qui iam in vteri claustris ad tantum peruenit augmentum, vt viuere queat, non amplius, siue viuus, siue mortuus sit, pro abortu, sed pro vero partu habetur; cum e contrario omnes, qui infra hunc terminum excluduntur foetus, pro abortu declarari soleant. Quare etiam dudum iam Medici consuetum abortus terminum intra primos & ad fi-

nem

nem vsque ſexti decurrentes grauiditatis menſes conſtituerunt. Vid. Illuſtr. b. m. HOFFMANNI *Medic. rat. ſyſtemat. Tom. III. Part. III. cap. de abortu.*

§. II.

Adpropinquat fatalis abortiendi terminus cum conſuetis partus doloribus, vt moleſtis dorſi, lumborum & imi ventris torſionibus, refrigeratione extremorum & ſimilibus; tumque praegreſſo, vel coniuncto ſat largo ſanguinis profluuio, ipſe vel prodit foetus, vel in vtero remanet mortuus. Teſtantur enim omnes, quotquot ſunt, obſeruationes, nullum ſine haemorrhagia vteri abortum fieri. Atque haec ſanguinis profuſio neceſſario debet excitari, quoniam foetus excluſio vel plenam, vel ex parte tantum factam ſupponit placentae ab vtero ſeparationem, quae abortus veram & *proximam* conſtituit *cauſſam.* Placentâ enim, cuius extrema vaſcula ex foraminulis ductibusque vteri nutrimentum foetus recipere debent, ab vtero auulsâ, non ſolum foetus alimento ſuo priuatus emoritur, mortuusque excluditur, verum etiam in aprico inde eſt ratio, cur nunc omnis, qui antea ad foetum deductus fuerat, ſanguis, ex apertis vaſculis in vteri cauitatem effluens, largam haemorrhagiam producat, ob quam etiam a Medicis omnis abortus periculoſior haberi ſolet partu naturali.

§. III.

Quum igitur cauſſa abortus proxima in placentae ab vtero ſeparatione, & larga, quae inde neceſſario ſequitur, haemorrhagia, conſiſtit; patet, omne id, quod placentam ab vtero auellere, ſanguinisque ex matrice fluxum excitare valet, prouocando quoque abortui eſſe

aptiſſimum. Iam vero duae inprimis *cauſſae* ſunt *mediatae*, quibus hoc fieri poſſe arbitror, quarum altera eſt *ſpaſtico-conuulſiua vteri & adnexarum partium affectio*, ex doloribus partum aemulantibus conſpicua; altera vero *ſanguinis ebullitio*, indeque inducta *copioſioris huius humoris ad vterum propulſio*. Quum vero, qua ratione cauſſae hae mediatae ad proximam, ſiue ad placentae ſeparationem & haemorrhagiam, conferant, non primo ſtatim intuitu cuiuis pateat, pauca iam illuſtrationis gratia addere lubet. Et primo quidem, quod ad *conuulſiuos vteri motus* attinet, ſine dubio eſt, quod ideo potiſſimum ſub iisdem ſecundinae ab vtero poſſint ſecedere, quia partim ſub ſpaſtica fibrarum & vaſorum vteri conſtrictione ipſe quaſi vterus a placenta violenter retrahitur, partim quia omnem fortiorem ſpasmum aequalis excipit atonia, ſub qua deinde facile poteſt fieri, vt ſanguis, in vaſa vteri debilitata & minus reſiſtentia copioſius influens, diuulſionem cum ſubſequente haemorrhagia efficiat. Ab altera autem cauſſa, ſiue *celeriori ſanguinis motu*, nociua placentae ab vtero auulſio eam ob rationem poteſt produci, quod maior ſanguinis ad vterum delata copia non ſolum preſſione ſua ſpaſticam vtero conſtrictionem infert, verum etiam vi ſua, qua irruit, diſtendente, placentam plurimum inflat, vt quaſi pondere ſuo auctiori auulſionem moliatur.

§. IV.

Sunt quidem nonnulli, qui praeter has cauſſas modo adductas ſimul inopiam ſucci ſanguinisque nutritii, tenuioribus villis ductibusque placentae ex patulis vteri orificiis infundendi, accuſare ſolent, ob quam deſtitutus

nutri-

nutrimento foetus perire, corrumpi & excludi necessario deberet, sicut id exemplo feminarum propter febres acutas, diarrhoeas & dysenterias, itemque post nimias venaesectiones abortientium, abunde satis posset cognosci. At vero, si meam interponere licet sententiam, equidem dubius adhuc haereo, an, quae hisce subiectis nonnunquam accidit, praematura foetus exclusio, propter solam deficientem bonorum succorum copiam, an potius ob grauiorem spasmum cum vtero communicatum, eueniat. Neque enim febris sine spastica neruosi generis adflictione, neque nimiae alui tam serosae, quam cruentae deiectiones, sine spastico & ad conuulsiuum saepe gradum adaucto tono & motu intestinorum peristaltico solent contingere; immo ipsa demum nimia venaesectio, ob sanguinis exinanitionem, teste HIPPOCRATE, conuulsionem, siue spasmum solet inducere. Quare deliberato caussam tam incertam multisque adhuc dubiis expositam hic omisi, praesertim cum ad metam mihi praefixam, qua de medicamentis tantum abortiuis differere animus est, exacte non faciat. Pharmaca enim, succum nutritium quasi exsiccantia, reperiuntur nulla.

§. V.

Sunt autem, vt in serie caussarum explicanda vlterius procedam, variae adhuc caussae antecedentes & remotae, quae ad dictas §. III. mediatas conferendo, abortum prouocant. Ceteris tamen lubenter hic praetermissis, *medicamenta* tantum sic dicta *abortiua* placet considerare; quae, si praeternaturalem & cum haemorrhagia coniunctam placentae ab vtero auulsionem, ipsumque adeo abortum debent producere, ita comparata sint ne-

cesse

ceſſe eſt, vt vel *conuulſiuam vteri partiumque vicinarum agitationem*, vel *celeriorem ſanguinis motum eiusque maiorem ad vterum congeſtionem*, efficiant. Commode igitur haec medicamentorum genera ad duas referuntur claſſes, ſecundum quas iam praecipua, vt ſtatim menti oculisque obuerſentur, breuiter ſtrictimque recenſebo, videndo poſtea, an abſoluta abortum ciendi virtute polleant, nec ne?

§. VI.

Ad primam remediorum claſſem, quae ſpasmos excitando agere ſolent, & idcirco ceu abortiua ab HIPPOCRATE *aphor. XXIX. Sect. V.* ante quartum & poſt ſeptimum grauiditatis menſem interdicuntur, primo omnium referri merentur *purgantia draſtica*, vt elleborus albus & niger, ialappa, mechoacanna alba, iris noſtras, eſula, bryonia, herbae ſoldanella, gratiola, linum catharticum Anglicanum, colocynthis, grana tilli, turbith vegetabile, elaterium, cortex medius ſambuci, ſemen cataputiae, ſcammonium, gummi gutta, pariter ac ea, quae ex ipſis in pharmacia proſtant parata. Ineſt enim draſticis hisce pharmacis virulenta quaedam ſummae tenuitatis & actiuitatis indoles, & tenuiſſimum ſal rodens cauſticum, quo nerueas non ſolum ventriculi & inteſtinorum, ſed per conſenſum quoque reliquas corporis membranas ſpasmodice criſpando, vehementiſſime operantur, ſicut ex praecordiorum anxietate cardialgica, ventris torminibus, crebris alui deiectionibus, immo ex ſingultu, inflammatione & conuulſionibus non raro ſuperuenientibus, abunde ſatis licet coniicere. Vid. Illuſtr. b. m. HOFFMANNI *Med. rat. ſyſtem. Tom. III. Part. III. cap. de abortu.*

§. VII.

§. VII.

Proxime his ſuccedunt *vomitoria*, eaque *fortiora*, quorum numerum ſubeunt ex mineralium regno vitriolum album, & paratum inde ſal vomitorium, cryſtalli viridis aeris, vitrum antimonii, tartarus emeticus, aqua benedicta Rulandi, mercurius vitae, puluis Monckii, panacaea Glauberi & Conerdingii in paullo pleniori doſi ſumta, & ſulphur antimonii auratum; ex vegetabili autem regno elleborus albus, aſarum, cortex medius ſambuci, ipecacuanha, omniaque purgantia §. V. deſignata, in maiori doſi oblata. Neque haec aliter ſuam abſoluunt operationem, quam quod acri cauſtico & ſalino-ſulphureo, quo pollent, principio, tunicam ventriculi & inteſtinorum nerueam, conſenſus autem lege remotas etiam partes neruoſas ſpasmodice conuellant: vnde non ſolum ex coarctato ventriculo & duodeno contentas inibi ſordes violenter expellunt, verum etiam ductus biliarios & inteſtina ſtimulant, immo non raro totum genus neruoſum, prout ſingultus, extremorum refrigerationes, anxietates & conuulſiones oſtendunt, vehementiſſime agitant atque concutiunt.

§. VIII.

Remediis deinceps, quae vim vaſorum contractilem ſyſtalticam intendendo, ſpasmos excitare valent, iure quoque accenſenda ſunt *ſaliuantia*, eaque inprimis *mercurialia fortiora*, vt fere ſunt argentum viuum, externe praeſertim adhibitum, mercurius dulcis, praecipitatus ruber & albus, turpethum minerale, arcanum corallinum, aliaque huius generis plura. Ea quippe eſt indoles horum remediorum, vt neruoſas glandularum du-

ctuumque lymphaticorum membranas ſpaſtice ſtringendo, motum lymphae & humorum concitatiorem efficiant, cuius dein beneficio ſubſiſtentes in glandulis minimisque tubulis humorum ſtagnationes perbelle reſoluuntur, & copioſa ſaliuae contingit profuſio. Atque de ſpaſtica partium neruoſarum ſtrictura ſat luculentum praebent teſtimonium ipſa ſymptomata ſaliuationem comitantia; ſiquidem ſuccedente ſaliuae fluxu partes extremae frigent, alui & vrinae retinetur excretio, ventrisque tormina aegrotos ſaepe grauiter vexant, manifeſto indicio, genus neruoſum ſpasmis eſſe adfectum. Quae vero cum ita ſint, plane non dubitandum eſt, quin ſub ſpaſtica mercurialium operatione ipſe etiam vterus in ſpasmorum conſenſum poſſit abripi; vnde etiam ſaliuantia a nonnullis non inepte abortivis adnumerantur.

§. IX.

Claudant denique ſeriem remediorum ſpaſtice operantium ipſa *diuretica* valde acria, cuius generis eſſe ſolent plurima inſecta, vt canthariđes, millepedes, vermes maiales, araneae, bufones exſiccati, & ex vegetabilium numero variae porri alliique ſpecies. Solent haec ipſa a Medicis, licet rarius, tum maxime temporis in vſum vocari, ſi tubulorum renalium robur a tono nimis deiectum & quaſi reſolutum in ſubiectis humidis & aegre ſentientibus potentem poſtulat ſtimulum. Quem vero quum dicta diuretica ſale ſuo valde acri abunde ſatis ſuppeditant; iudicatu hinc facillimum eſt, quod alio tempore, aliisque ſub circumſtantiis, vel paullo largius exhibita, canaliculis renalibus partibusque proxime adiacentibus inſignem ſpasmodicam inferendi ſtricturam potentia polleant.

§. X.

§. X.

Proximum nunc eſt, vt alteram remediorum claſſem, quibus abortiua tribuitur facultas, breuiter expendamus. Complectitur haec quaelibet prope remedia, quae magnum in fluidis noſtri corporis orgasmum efficiendo, ſanguinem & humores ad varias partes copioſius & cum impetu appellunt. Qua quidem virtute inprimis ſplendent *ſudorifera*, ſiue ſudori eliciendo dicata remedia, quorum ſyllabus continet omnes ſpiritus & tincturas bezoardicas, ſalia volatilia & calida animantium olea, ſiue ſola, ſiue in vini ſpiritu ſoluta, vt C. C. eboris & ſimilium; deinde radices, partim ſale acri fixo plus minus reſinoſo, partim ſubtili quodam acri & calido oleo, inſtar angelicae, enulae, pimpinellae, &c. praeditas; tum vero ex minerali proſapia tincturam ſulphuris, regulum antimonii medicinalem, ſulphur antimonii fixum, mercurium diaphoreticum, &c. Haec autem ſingula, aequa iudicii lance librata, ita omnino ſunt comparata, vt ſuo, quo pollent, acri, vel oleoſo calido principio, numerum & virtutem ictuum cordis & arteriarum augeant, auctaque inde circuli ſanguinis celeritate, humores non ſolum pro ſudoris eliminatione ad poroſam cutis ſubſtantiam adducant, ſed eosdem pariter quaquauerſum ad quaslibet corporis partes, & conſequenter etiam ad vterum, propellant.

§. XI.

Ab horum indole parum omnino recedunt *diuretica calida*, ſiue, quae vrinae fluxum prouocandi potentia gaudent remedia. Sunt illa inprimis balſama ſic dicta Indica, de Copaiba & de Mecha, therebinthina, maſtix, ſuccinum, iuniperus, & omnia, quae inde in pharmaciis prae-

parantur, medicamenta. Haec autem dum ſubtili balſamico & oleoſo calido agunt principio, ſane nihil dubii eſt, quin ſicuti relaxatum renalis cribri tonum firmant & ad excretionem ſtimulant; ita etiam vim cordis & arteriarum ſyſtalticam quoad vim & numerum ictuum augeant, adeoque inſtar ſudoriferorum, ſanguinem & humores fortius commotos huc & illuc cum vehementia pellant.

§. XII.

Explicata iam duplici remediorum, abortiendi facultate inſignitorum, claſſe, ſuperſunt adhuc alia, paucis nunc conſideranda. Sunt vero haec ipſa *emmenagoga*, ſiue menſes, lochia & partum pellentia medicamina, quorum ſingulis iam antiquiores Medici abortiuam tribuerunt virtutem. Nolo tamen omnia hic recenſendo ampliſſimum ingredi campum; ſed dicam tantum breuibus, quid de ipſorum agendi modo veritati conſentaneum iudicem. Commode autem, ſicut priora, ad easdem binas referuntur claſſes. Siue enim in ſolidas, ſiue in fluidas noſtri corporis partes ſuam exercent virtutem, illas quidem ad maiorem contractionem ſtimulando, has vero in concitatiorem motum agendo. Quamobrem cenſum iſtorum ſubire ſolent omnia ſic dicta *incidentia*, vel ſale quodam acri fixo ſuam in ſolida actionem exſequentia, vt radices iridis, pimpinellae, ari, herba arnicae, piper, zingiber; vel ſale acri volatili, vt cochlearia, enula, &c. agentia; vel gummoſa, ſaponacea, mucum ſoluente & ſimul ſtimulante virtute operantia, inſtar gummatum ammoniaci, galbani, myrrhae & ſimilium; vel ſalina quadam abſterſiua & aperiente virtute praedita, vt ſalia neutra, maximeque borrax; vel demum fibras flaccidas roborando iuuantia, exemplo rhabar-

rhabarbari & martialium. Ex altera autem parte ad emmenagoga fluidis magis dicata, ſanguinisque & humorum maſſam commouendo agentia, referri merentur ſalia volatilia oleoſa, aloetica, & alia calidiora remedia; nec non principio quodam vaporoſo & humores expandente praedita, vt crocus & caſtoreum, itemque nonnulla ſic dicta ſpecifica vterina, in ſolida & fluida ſimul operantia, vt aromata, baccae lauri & iuniperi, herbae rosmarini, meliſſae, pulegii, ſabinae, flores cheiri, calaminthae, &c. & quae varia ſub forma inde conficiuntur remedia.

§. XIII.

Omnis autem, quae remediis vterinis cum ſupra poſitis intercedit differentia, in eo potiſſimum eſt reponenda, quod paullo ſint mitiora, nonnullisque exceptis, tantam in genus neruoſum & vaſculoſum vehementiam non exſerant. Poſſunt tamen adhuc alia emmenagogis commode adnumerari, vt fere ſunt balnea tepida, vapores, fotus, cataplasmata, emplaſtra, peſſaria & ſimilia ex relaxantibus conflata remedia, inguini, perinaeo, hypogaſtrio & vaginae vteri adplicata, vtpote quae ſanguinem peculiari quadam virtute ad vterum magis determinant, ac ideo inprimis a celeberr. b. m. BOERHAAVIO, *Tract. de viribus medicament. cap. de vterinis*, itidem quoque inter vterina referuntur. Quo etiam ex altera parte eodem iure pertinent externa acriora, ſub forma ſuffitus, peſſariorum, vnguentorum, &c. ipſi vteri vaginae adplicata, quorum exempla leguntur in *Diſcurſu med. de abortu & medicamentis abortiuis, ab anonymo edito, pag. 34. 35.*

§. XIV.

Equidem longe adhuc plura pro abortiuis haberi

remedia probe ſcio, quae tamen lubens iam ſicco pede praetereo, partim quod, exemplo ſternutatoriorum, ad ſupra recenſita commode poſſunt referri, partim vero, quod ita ſunt comparata, vt gratis tantum aſſumtam, & per traditionem acceptam ipſis virtutem auctores tribuant abortiuam, quam nullo vnquam modo ex chemica ipſorum analyſi & operandi ratione vel perſpicaciſſimus poterit deducere; ſicut farraginem medicamentorum pro abortiuis habitorum *in Claue ſua, ſub claſſe vterinorum*, recenſuit SCHRÖDERVS. Si quae igitur compendii cauſſa a me omiſſa reſtant pharmaca abortum inducentia, eius debent eſſe indolis, vt vel ad duas remediorum claſſes ſupra ſtabilitas poſſint reduci, vel ex ipſa eorum natura agendique modo demonſtrari, quod ad cauſſam abortus proximam §. II. indicatam, ſuum conferant ſymbolum. Et quum in praeſenti hac mea tractatione de medicamentis tantum ſtricte ſic dictis, minime autem de aliis rebus abortum promouentibus diſſerere mihi propoſuerim, vitii credo me accuſaturum eſſe neminem, quod nec ipſas hic longa verborum ſerie enarrauerim, nec modum, quo agere ſoleant, expoſuerim.

§. XV.

Conuerto me itaque potius ad illud pro viribus exſequendum, quod in titulo promiſi, ſcopoque mihi propoſito apprime reſpondere videtur, vt accurate ſcilicet disquiram, an illa remedia, quibus ipſe ego, ratione & experientia ſuffultus, abortiuam decreui virtutem, hac ipſa ſemper, omnibusque in ſubiectis, per ſe & abſolute polleant, nec ne? Haec autem conſideranti primo omnium varia in mentem veniunt exempla notatu digna, omnique

fide

ſide maiora, ex veteri pariter ac recentiori repetita memoria, quae remediis ſupra enumeratis certam abortum producendi facultatem aut plane denegant, aut valde tamen reddunt dubiam. Ita D. D. ALBRECHT in *M. N. C. Dec. II. Ann. VIII. obſ. 165.* lectu & attentione dignam adfert obſeruationem, de difficultate abortum vel directe, vel indirecte prouocandi, exemplo mulieris grauidae, pro hydropica falſo habitae, remediisque vehementiſſimis, vt decocto rad. ſambuci & iridis noſtratis, per ſat longum tempus ſine vlla noxa foetus tractatae. Quam deinde obſeruationem aliis confirmat caſibus, e. g. *feminae*, febrem malignam ſine detrimento in foetum redundante feliciter perpeſſae, itemque *nutricis impraegnatae*, draſtica multa impune adſumentis; nec non *dyſentericae*, recti inteſtini vlcere cum ſummis cruciatibus & continuo tenesmo laborantis, cui quotidie aliquot clysmata iniecta, aliaque ad ſanandum vlcus adplicata, nullam intulerunt foetus iacturam; & denique *virginis defloratae*, cui neque venaeſectio multoties repetita, neque aperientia calidiora, neque acriora peſſaria & ſuffimigia, ad menſes reſerandos adhibita, abortum procurarunt.

§. XVI.

Ratione haud diſſimili D. D. GARLIEP *von der* MÜHLEN, *M. N. C. Dec. III. Ann. VII. Obſ. 55.* de admiranda foetus in vtero materno conſeruatione notabilem recenſet caſum de virgine puella, viro nuper admodum nupta & impraegnata, variisque, ad colicam flatulentam chronicam falſo ſuppoſitam ſanandam, calidis carminatiuis, purgantibus fortioribus, reiteratisque venaeſectionibus, ſine vlla foetus noxa, diu tractata. Idem praegnantium in retinendo

nendo conſeruandoque foetu robur oſtendit D. D. SOMMER, *Dec. II. Ann. III. Obſ. 103-106.* exemplo purgantium, in grauida, geminos viuos & ſanos pariente, innoxiorum; deinde caſu mulieris vtero gerentis, plurimaque emmenagoga, ex ſabina inprimis, balneaque emollientia, ſine ſubſequente foetus excluſione, adhibentis; itemque obſeruatione in grauida, quae, licet per XXV. dies, menſes pellendi ſcopo, omni mane centum olei deſtillati iuniperi guttas adſumſit, filiam nihilo minus iuſto tempore peperit; quale exemplum & mihi de oleo ſabinae, ſimili fere doſi ſatis diu mane & veſperi ſine foetus pernicie adhibito, beneuole retulit Illuſtris DN. PRAESES. Quo etiam ſpectant binae grauidae, grauiditatis inſciae, lue venerea laborantes & ſaliuatione curatae mercuriali, quae nihilo tamen ſecius ſanos ediderunt infantes. Complures quoque eiusmodi caſus reperire licet in *tractatu anonymi ſupra citato.*

§. XVII.

Nec deſunt plura a diuerſis auctoribus allegata exempla, vbi a ſcurris & nebulonibus nequiſſime, a medicis imprudenter, & a mulierculis temere efficaciſſima grauidis pharmaca fuerunt exhibita, tam matre, quam foetu illaeſis. Vid. ZACVTVS LVSIT. *Prax. adm. obſ. 43. 44.* PLATERVS *in prax. p. 113.* STALPART *van der* WIEL, aliique. Nolo tamen exempla cumulare exemplis, ſed inſtar omnium fideque digniſſimus mihi teſtis ſit Illuſtr. b. m. HOFFMANNVS, qui *in Med. rat. ſyſtem. Tom. III. P. III. cap. de abortu ſſ. VIII.* ita pro more ſuo grauiter & erudite de abortiuis diſſerit: *Ipſe ego non ſemel, ſed aliquoties obſeruaui, grauidas quasdam vehementibus acutis febribus, nec non variolis, morbillis, diarrhoeis, immo dyſenteriis laboraſſe, &*

foetum

foetum in vtero viuum saluumque retinuisse. Noui etiam aliquot exempla feminarum generosi stemmatis, quae, quia non putarunt, se grauidas esse, ad mitiganda pathemata hypochondriaco-hysterica, integram curam Carolinarum per aliquot septimanas absoluerunt, & postea Toeplicensi balneo per septimanam & vltra vsae, elapsis tribus, vel quatuor mensibus, felici partu bene valentes & robustos excluserunt infantes; cum tamen eiusmodi curandi ratio grauidis minus tuta censeatur. Neque pauca mihi prostant exempla, quod vtero gerentes per accliuia & decliuia loca, sine vlla noxa, per dies noctesque fecerint itinera, & nimiis saltationibus immensum in modum se fatigauerint. Nec omnibus impraegnatis terror nocet: alias ob campanarum, suborto incendio, sonitum inopinatum plures in amplis ciuitatibus deberent abortire; quod tamen rarius accidit.

§. XVIII.

Atque haec de abortiuis certa & attenta obseruatione habemus comperta: quae quum res facti sint, euidentique contradicere experientiae piaculum foret, nihil iam amplius superest, quam vt etiam per rationes demonstremus, dari quidem abortiua, ast alia, quibus pro lubitu, omni tempore & in singulis grauidis foetus immaturus ex vtero possit propelli, in vniuersa rerum natura minime omnium deprehendi. Et primo quidem vel ex eo solum indubitata huius theseos veritas luce meridiana clarius potest cognosci. Quodsi enim constantes & perpetuae certis medicamentis inessent abortiuae virtutes, necessarium omnino esset, vt semper & sub omnibus circumstantiis eundem praestarent effectum abortiuum. Hic vero quum per exempla §. XV. XVI. & XVII. adducta minime sequa-

tur; iudicatu ſane facillimum eſt, certas abortum excitandi vires ipſis medicamentis non inhaerere, ſed abortus inde prouocati rationem aliunde eſſe petendam.

§. XIX.

Ego vero dum abſolutam abortiuorum remediorum facultatem, firma innixus experientia, nego atque pernego, bene praeuideo, toti meae demonſtrationi validiſſimum acceſſurum eſſe pondus, ſi cum prudentiſſimis & optimis Medicinae antiſtitibus ſapienter ſtatuo, & fundamenti loco adſumo, vires nullius plane medicamenti dari abſolutas, ſed a ſubiecti receptiuitate determinari omnes; ſiue, vt recentioribus loqui placet, omnem medicamentorum actionem aequalem corporis poſtulare reactionem. Atque hoc ſatis ſuperque demonſtrat admodum diuerſus remediorum in diuerſis ſubiectis effectus, qui, niſi a differente ſubiectorum indole & natura, ſed ab ipſis medicamentis penderet, ſemper deberet eſſe idem. Quid enim quaeſo tam varia, tamque multiplex purgantis, emetici, vel alius pharmaci in diſtinctis hominibus operatio aliud ſubindicat, quam quod ipſa medicamenti efficacia ab adſumentis diſpoſitione quamplurimum modificetur? Quod quidem niſi ita eſſet, ſequeretur omnino, vt in mortua etiam corpora medicamentis poſſimus operari, ſimilemque ac in viuis mutationem producere: quod tamen omnem humanam ſuperat fidem, totiesque repetitam tolleret experientiam.

§. XX.

Ex hisce praemiſſis prono nunc fluit alueo: Si medicamento in ſe ſpectato nunquam certa quaedam ineſt virtus, ſed illa potiſſimum a corpore humano viuo, actio-

nem

nem medicaminis recipiente, ſuisque viribus ipſi renitente proficiſcitur, ſequitur omnino, quod nec de abortiuis remediis certa quaedam & abſoluta foetum pellendi efficacia poſſit praedicari, ſed perinde vſum illorum excipiens in vterum operatio ab ipſius huius partis quadam ad abortionem diſpoſitione dependeat. Id quod vero, vt eo clarius innoteſcat, paullo accuratius nunc diſpiciendum erit, in quonam haec diſpoſitio proprie conſiſtat? Ad quod quidem demonſtrandum de peculiari & plane mirabili vteri fabrica ex anatomicis ſupponere hic placet, muliebre hoc viſcus ſingulari quadam vi gaudere elaſtica, ſingulasque ipſius fibras carneas, fundo praeſertim circulariter intertextas, pariter ac vaſa reliqua, peculiari donata eſſe tono & motu elaſtico; qui ſi naturalis, temperatus & aequabilis eſt, debita fit ſanguinis per vterum circulatio, omnesque eius functiones rite ſuccedunt: cum e contrario, ſi praeter naturam plus iuſto debilitatus eſt, facile inde omnes functiones turbantur, & variae nociuae ſanguinis ad vterum fiunt congeſtiones, vel hic ſpasmis frequentius faciliusque patet.

§. XXI.

At vero, dicet fortaſſe aliquis, nondum video rationem, qua fiat, vt naturalis vteri tonus & elaſticitas in quibusdam feminis adeo infringatur, vt inde maior ſuccedat ſanguinis ad vterum adfluxus. Scire itaque licet, ſtructuram vteri ita eſſe diſpoſitam, vt prae ceteris partibus atoniam pati queat. Vaſa enim habet innumera, valde tortuoſa & ſerpentino quaſi flexu diſcurrentia; ramos porro accipit plures arterioſos, ex hypogaſtricis, ſpermaticis & iliacis ſanguinem aduehentes, venae contra valuulis

 ſunt

ſunt deſtitutae,neque muſculi adſunt, qui ſanguinem compreſſione venarum amplius propellerent: vnde ſufficiens quidem ſanguinis ad vterum eſt determinatio, ſed eiusdem difficilior, in ſtatu etiam naturali, regreſſus. Quodſi igitur ſanguis, per arterias aduectus, non eadem per venas regreditur celeritate & copia, nec per menſium fluxum euacuatur,venae neceſſario expanduntur, hinc fibrae vteri vel diſtenduntur & diſtentae debilitantur, vel fortius compreſſae ſpasmos patiuntur, quibus poſtea, per leges noſtri corporis microcosmicas, proportionata ſuccedit atonia. Maxime autem omnium fieri hoc poteſt in ſtatu grauiditatis, in quo maior fit ſanguinis in vtero collectio & accumulatio, ſicut vel ipſa vteri ſubſtantia valde tumefacta ſatis demonſtrat, dum vaſa in virginibus valde exilia in praegnantibus ita diſtenduntur, vt minimi eorum ramuli ſat amplam habeant capacitatem. Quum vero ſanguis, ob debile foetus incrementum, in primis grauiditatis menſibus non ſatis conſumatur, nec per menſtrua amplius eiiciatur, fortius neceſſario, ſi copioſe in plethoricis adfluit, vaſa vteri diſtendit atque debilitat, maxime ſi feminae laxas habent fibras, aliaque vitia §. XXIV. indicanda. Atque hoc vel exinde ſatis elucet, quod plethora inter cauſſas abortus praecipuas ſolet numerari, eademque per debitam venaeſectionem tempeſtiue imminutâ, praematura foetus excluſio optime poteſt praecaueri. Vid. Illuſtris IVNCKERVS in *Conſpectu med. theoret. pract. Tab. CXXXIII. pag. 965. & 966.*

§. XXII.

Haec autem meditanti ſingularis in memoriam venit locus celeberr. b. m. BOERHAAVII, in *Tract. de viribus medi-*

medicamentorum, cap. de vterinis, qui hanc meam theſin, de imbecillitate vteri & ſanguinis in eundem influxu, inprimis illuſtrat, dignusque eſt, qui totus hic tranſcribatur: *Videndo cur ſanguinis ſuperflui in mulieribus determinatio fiat ad vterum, conſtat id inde fieri, quoniam in muliere nullibi in vaſis minor eſt reſiſtentia, quam in abdomine, indeque nullibi minor quam in pelui, ibique nullibi minor quam in vtero. Mulieres enim habent pro ratione magnitudinis abdomen longe magis extenſum & expanſile, quam viri: in horum etenim pelui continetur ſolummodo veſica & inteſtinum rectum, praeter quae in mulierum pelui continetur quoque vterus; harumque peluis ordinario eſt capacior, quam reſpectu contentorum eſſe requiritur. - - Porro nulla pars eſt in corpore muliebri nota, in quam ſanguis a tam diuerſis locis influat, ac in vterum. A tribus enim diuerſis fontibus diuerſae arteriarum extremitates in vnum hic loci coeunt.*

§. XXIII.

Quae cum ita ſint, equidem confidenter adſerere nullus dubito, diſpoſitionem vteri ad abortum in nimia vel nonnullarum, vel omnium fibrarum vaſorumque vteri elaſticorum relaxatione & atonia conſiſtere, qua liber ſanguinis & humorum progreſſus per innumeros & in ſemet quaſi implicatos canales intercipitur, venae ob imminutam reſiſtendi vim a ſanguine nimium adfluente in varices expanduntur, facileque haemorrhagia ex disruptis vaſorum extremitatibus prouocatur. Atque eadem haec toni vterini deiectio tanquam cauſſa enormium vteri ſpasmorum accuſanda eſt, ideo, quod per principia pathologica teſteque experientia, partes inprimis debiles ad ſpasmos facile ſuſcipiendos ſunt procliues.

§. XXIV.

Haec vero mea de vteri dispositione allata ratio magnum accipit robur a consideratione feminarum, quibus prae ceteris abortiones solent esse solennes. Sunt autem hae omnes, quae, a matribus abortum saepe perpessis genitae, haereditariam quandam vteri acceperunt debilitatem, ob quam etiam non raro valde laxam vteri cum placenta habent cohaesionem; porro, quae ob pinguiorem, plethoricum laxioremque corporis habitum, itemque ob otiosum & lautius viuendi genus, naturam obtinent imbecilliorem pariter ac sensibiliorem; tum vero, quae vel largiorem, vel nimis parcum & inordinatum mensium fluxum expertae, adflictionibus hypochondriaco-hystericis aliisque morbosis pathematibus crebro subiiciuntur; nec non quae difficili delassatae sunt partu, aut in puerperio minus rite tractatae, quae fluore albo laborant, vel aliquoties iam abortum fuerunt perpessae. Singula enim haec momenta sicut de totius corporis ipsiusque vteri debilitate sat luculentum praebent testimonium; ita nihil dubii est, quin in vasorum vteri atonia feminarum ad abortum dispositio potissimum sit quaerenda.

§. XXV.

Sed vt specialius loquar, placet nunc ex iam demonstrata vteri ad abortiendum procliuitate paullo propius ostendere, nulla, quantumuis fortissima remedia, ex se suaque natura certum abortus facere periculum. Id quod non melius praestare potero, quam si paucis euinco, fieri non posse, vt sine praesente vteri ad abortum inclinatione vllum vnquam remedii genus ad caussam abortus proximam, secundinarum scilicet a matrice auulsionem, largam-

gamque haemorrhagiam, quicquam conferat, quod tamen necessarium esset, si quid in rerum natura absolutam & quasi insitam, foetum immaturum exturbandi, possideret energiam.

§. XXVI.

Et primo quidem placentae ab vtero seiunctio, sanguinisque, quod inde sequitur, profluuium solet contingere, si spasmi a fortioribus excitati medicamentis vterum vellicant per §. III. At vero, quum omnia, quae supra recensuimus, medicamenta, spasmos inferendo agentia, non virtute quadam immediata & directe, sed lege tantum consensus in vterum operari queant; necessario hinc consequitur, quod vis ipsorum agendi semper in proximas partes sit maior, quam in remotas. Vt ideo cum fundata quadam ratione demonstrare possit nemo, vim istorum remediorum semper tantam esse, quanta ad placentam ab vtero seiungendam sanguinisque fluxum excitandum, requiritur. Accedit, quod feminis compluribus certo respectu sat firma sit vteri fabrica, si scilicet caussae, vteri atoniam inferentes, secundum §. XXIV. in iis deficiant; vnde medicamenta vel efficacissima in firmis ipsarum vteri fibris, aut difficulter, aut minus sufficientem, aut plane nullum efficere possunt spasmum, hinc nec placentae separationem cum haemorrhagia coniunctam, adeoque nec ipsum abortum. Cui vero minus haec mea arridet demonstratio, recurrat quaeso ad §. XXIV. & luculenter admodum perspiciet, subiecta abortionibus obnoxia peculiarem quandam a natiuitate vel acceptam, vel aliunde acquisitam vteri gerere atoniam, hoc est, aliquam ad abortum dispositionem.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sic igitur remedia ſpaſtice agentia nulla gaudere vi abſolute abortiua perſpicuum eſt. Idem vero ſimiliter eodemque iure dicendum eſt de reliquis, fluida noſtri corporis valde commouentibus, & ad vterum fortius maiorique copia pellentibus. Quamuis enim ſanguinis & humorum maſſa per omnes corporis canales a calidis adſumtis velociſſime traiiciatur; nemo tamen facile poterit inde demonſtrare, quod ad ſolum vterum tanta quantitate & vehementia propellatur, vt inde ſemper ab illo ſecundinarum fiat diuulſio, haemorrhagia & abortus. Quodſi autem hoc fieri debet, adſit, neceſſe eſt, in ipſo vtero, ob debilem flaccidumque vaſorum tonum, minor reſiſtendi potentia, ſeu ſpecialis quaedam diſpoſitio, ex qua deinceps facile dari poteſt ratio, cur quandoque calidiora pharmaca abortum inducere valeant, quandoque vero non.

§. XXVIII.

Ex emmenagogis, lochia & foetum pellentibus, aliisque vterinis remediis, §. XII. & XIII. indicatis, multo adhuc magis elucet, certa & neceſſario agentia non dari abortiua. Plane enim non exiſtunt in vniuerſo medicamina, quibus, ſicut diureticis vrinam, ſudoriferis ſudorem, emeticis vomitum & purgantibus aluum mouemus, ita etiam ſanguinis excretiones directe & pro arbitrio poſſimus excitare. Hoc enim ſi eſſet, heu! quam multos perfecte ſanaturi eſſemus morbos vel pertinaciſſimos chronicos, qui a ſanguinis per nares, menſes & haemorrhoides excretionibus ſuppreſſis ſuam ducunt originem. In hoc autem celebranda eſt ſumma diuini Numinis prouiden-

uidentia, quod nos iſtis carere voluerit remediis, quibus ſanguis ad certas partes, adeoque etiam ad vterum, certo poſſit determinari, & concitata ibi haemorrhagia foetus immature domicilio ſuo exturbari: ſiquidem hac ratione innumeri patrarentur abortus, totque prope forent homicidia, quot eſſe ſolent nefaria ſcorta.

§. XXIX.

Ex dictis & adductis iam facile poteſt intelligi, medicamenta, quae directe, proxime, neceſſario & abſolute abortum prouocent, non inueniri; maxime quum per §.V. remote tantum operantur, ſatisque experientia comprobatum eſt, remotas morborum cauſſas eundem in omnibus effectum non producere. Atque idem valere arbitror de aliis rebus, quibus in communi vita facultas tribuitur abortiua, vtpote quae ſimiliter non abſolute abortiendi inferunt periculum; niſi fortaſſe iniquiſſimum illud inſtrumentum abortiuum exceperis, quod ſceleratiſſima hominum aſtutia in Gallia excogitaſſe dicitur.

§. XXX.

Poſſet autem quispiam hic opponere: Si medicamenta non ſemper & abſolute abortum excitant, poena ideo nec poſſunt adfici praegnantes illae, quae iisdem vtuntur. Sed reſpondeo: Locum omnino habet poena, ſi eiusmodi remedia, fœtum expellendi ſcopo, adſumſerunt, licet eodem ſint fruſtratae. Quodſi enim, quam praeuidere non potuerunt, certa vteri adfuiſſet diſpoſitio, funeſtum talem abortum vtique prouocaſſent. Vt ideo mala, licet non ſemper efficax ipſarum intentio, iuſtiſſimum mereatur ſupplicium.

T A N T V M.

Geehrt-gelehrter Freund, da Dir Dein Vaterland
Nicht sonderliche Gunst und Glücke zugewandt:
So dencke nicht, daß dieß aus Haß und Neid geschehen,
Daß Du Dein Wünschen nicht in Greitz erfüllt gesehen.
Nein; GOtt war hier im Spiel, der alles weislich führt,
Der jeden, den er liebt, mit Heil und Segen ziert:
Der wollt es besser noch, als selbst die werthsten Deinen,
Mit Deinem wahren Wohl und künftgen Glücke meinen,
Der hat den Ort erwehlt, wo Wissenschaft und Treu
Von Dir, nach Würdigkeit der Lohn bestimmet sey;
Und, da Er also Dich nach Leutenberg geleitet,
So hat Er Dir den Grund zum Wohlfarthsbau bereitet.
Sein Segen war auch gleich bey Deinen Einzug da,
Er war bey jeder Cur mit Hülf und Heil Dir nah:
Und sieh'! ietzt will Er Dich noch besser zu beglücken,
Vor ihm erwiesne Treu mit Ehr und Würde schmücken.
Ich nehme billig Theil an allem Deinem Wohl,
Besonders auch an dem, das Dir anietzo soll,
Vor Fleis und Wissenschaft und öftere Beschwerden
Nach Würden und Verdienst mit Ruhm erwiesen werden.
GOtt bleibe ferner noch Dir gnädig zugewandt,
Mit Segen, Wohl u. Glück in Deinem Doctor-Stand
Und laß durch Dich, wie ietzt, auch noch in spätsten Jahren,
Sehr vielen Krancken Heil und Hülfe wiederfahren.

Hierdurch wollte dem Hochwerthesten Herrn *Doctori*
seine aufrichtige Freundschaft und Ergebenheit
glückwünschend bezeigen

Christian Heinrich Sequenides,
Hoch-Gräfl. Reuß-Pl. Secretarius und Reg.
Advocat zu Unter-Greitz.

Geehrtester, ietzt trägt Dein Fleiß den angenehmsten Lohn,
Der ihm schon längst gebührt, mit Ehr und Ruhm davon,
Die Pallas eilt herbey, Dir Hut und Ring zu bringen
Und den verdienten Krantz um Haupt und Stirn zu schlingen.
Glückselig, wer, wie Du, die Jahre zugebracht
Und sich den schönsten Bau des Glückes selbst gemacht!
Glückselig, wem, wie Dir, nicht die verderbten Zeiten,
Nein, Tugend und Geschick das Ehrenmal bereiten!
So fahre denn nur fort und zeige unsrer Welt,
Daß die erlernte Kunst bey Dir die Probe hält
Und nicht in äussern Prunck und Wortgepräng bestehet,
Nein, sondern auf den Grund wahrhafter Weisheit gehet.
Die Freundschaft wünschet Dir indeß zu allem Glück;
Es sey Dir iede Cur ein edles Meisterstück:
So werden noch dereinst die späten Enckel sagen,
Es habe Deinen Krantz ein würdges Haupt getragen.

Hierdurch wollte sich dem Hoch-Edlen, Hochgelahrten und Hochzuehrenden Herrn *Doctorando*, seinem Hochgeschätzten Herrn und Gönner, glückwünschend empfehlen, Dessen ergebenster Diener

Anton Christian Schmid,
aus Köstritz im Voigtlande d. H. G. G. B.

Wann, Leutenberg, Dein Artzt sein graues Leben endet,
War von der Vorsicht dir Dein **Gräf** schon zugesendet,
Der um Dein Heil nun in das zweyte Jahr
Mit Fleis, mit Witz, mit Glück bekümmert war.
Ließ sich der Seuchen-Heer gleich ofte‍rmals gelüsten,
Stadt, Häuser und dein Land mit Morden zu verwüsten,
So schlief er nicht bey eingebrochner Noth;
Er wagte sich an Fieber, Ruhr und Tod.
Der Tod wich scheel zurück in die gewiesne Schrancken,
Hygäen sucht er auf mit ihr erbost zu zancken:

Dein

Dein Gräf, rief er, wird mir unleidlich seyn
Schreibst Du ihn nicht in Doctor-Orden ein.
Der unbedachte Wunsch bewegte Sie zum Lachen:
Wird dieses wol dein Reich vor ihm auch sicher machen?
Vielleicht, sprach er: der meiste Theil der rennt
Bis man ihn nur den grossen Doctor nennt.
Ist Hut und Ring erjagt, liegt er auf fauler Seite
Macht sichs bequem, thut mir nicht Eintrag, nichts zu leide.
Hygäe thats; doch dachte sie dabey:
Ich weiß gewiß, daß er betrogen sey;
Dieweil er meinen Gräf noch nicht vermag zu kennen:
Den die erhaltne Ehr erst macht nach Ehre rennen.
Geehrter Freund! dieß präge Dir fest ein
Geh, sey ein Artzt, heis Doctor nicht allein,
Laß Fleis und Müh und Kunst und Dienst Dich nie ermüden,
So bleibt auf künftig Dir noch größrer Ruhm beschieden.
Dieß wird, mein Gräf, aus Schuld und Pflicht gesetzt
Von dem, der, wie Du weist, Dein Glück als eignes schätzt.

Seinem Hochgeehrtesten Freund und Gönner, wollte zu der erhaltenen längst-verdienten Würde hierdurch gehorsamst glückwünschen, fortdaurenden erwünschten Wohlstand für ihn erbitten und zu beharrlicher Freundschaft und Gewogenheit sich bestens empfehlen

Johann Michael Greuner,
aus Wurtzbach im Voigtlande.